VII

10 PARN

De Mare

VENETORVM,

Ad

LAVRENTIVM MOTINVM
ROMANVM

EPISTOLA INCREPATORIA & monitoria.

M. DC. XIX.

CVm Tv, De Mare Adriatico, Doctissime Laurenti, aduersus Venetos Auctoris ignoto nomine, mihi dedisses, legissemque ipse scriptum, eoque iniurijs, & mendacijs referto, compererim, magnopere lædi tum veritatem, qua nil sacratius reperitur in rebus, tum Patriam, qua sub Deo nil collitur religiosius, non potui non vehementer mirari stupiditatem scriptoris, &, ijsce cōcitatus acutissimis stimulis, leuitatis eius non ad te mittere cōfutationem. Quantum in primis Patriæ teneatur vnusquisque, insigne illud Macrobij ostendit testimonium, iura ei conseruantibus, auxiliumque præstantibus, certum in cœlo locum, beato sempiternoque æuo fruituris, esse definitum; Veritatis, deinde vim adeo magnā esse iuxta Hilarij sententiam, vt, etsi per se non possit intelligi, per ea tamen, quæ illi aduersantur eluceat, &, in natura sua immobilis manens, naturæ suæ firmitatem quotidie dum attentatur, acquirat. De stupiditate scriptoris huius nil penitus cum ratione dubitari potest; tritum etenim est illud, & verissimum circumfertur adagium, non esse lauandos Pisces; & leuitatem in scripti discussione patefaciemus.

Igitur vt tecum consideremus scriptum suum, cuius finis est & intentio ostendere, esse nulla Mare Adriaticum posse ratione Venetorum; totam hanc pertractationem in duas diuidemus partes, quarum prima *de consuetudine*, *de Priuilegijs* altera erit, omittentes quæ parum ædificant, & a præsenti sunt aliena dissertatione, & instituto. Consuetudinem voluerunt, vt probe nosti, sapientes, dupliciter esse capiendam, primo in ampla significatione quadam, vt communis sit, & sub se præscriptionem complectatur, de qua nullus est nobis sermo, sed secundo de consuetudine, stricto specificoque modo sumpta, quæ diffiniri solet, vt principium homini a natura tributum acquirendi ante omnes politicas constitutiones, in vsu certo & continuato consistens, & practicatum, alicuius rei ob licitam & honestam sui commoditatem. Principium quippe ponimus loco generis, & cætera, vt formalia, aufersit omnem, & quācunque difficultatem circa ipsam, vt patet consideranti. Ex eo, quod illam facimus a natura pendere, colligitur, quare a Philosophis quasi natura appellata sit; est enim illius proximus effectus ante

quamcunque legem humanam; & propterea qui consuetudine possidet, recte possidere dicitur priuilegio, lege, & quouis alio nomine tituli excogitari potest, quoniam est titulorum fœcundissima mater priuilegium inducens, formans legem, legem abrogans cum similibus, de quibus, & morales Philosophi, & Scolastici Theologi sapientissime tradiderunt.

Hac ab origine Vrbis suę Venetos possedisse Adriaticum, luce meridiana redditur perspicuum; si enim Vrbs in Mare sumpsit exordia, & Vrbis Domini fuerunt Veneti, Veneti quoque fuerunt Domini eius, in quo erat Vrbs, igitur Domini maris. Quod autem fuerint Domini Vrbis suæ, probatur tum a cognominatione Veneta; tum ab eo quod nil constat de opposito, quod euidenter concludat, tum quia Veneti, cum, teste Appiano, Straboneque, essent Romani adeo vt sua tempestate dixerit Nicetas sic eos fuisse existimatos, erant populi liberi, Dominique littorum Adriatici ipsius, vnde iure optimo, corruente Imperio, perditis Patrijs, insultantibus vbique in Continenti Barbaris, potuerunt occupare insulas, in eis ciuitates & Oppida condere, & ad sui salutem & conseruationem, formare classes, percurrere mare, eosque item propulsare qui sibi fuissent infesti, & inimici. Hæc assequi possumus saltem verisimili coniectura, considerantes Venetæ Reipublicæ maiestatē, quæ nec vestigio, nec vmbra quidem patitur suorum deliramenta calumniatorum. Immo Gothis Italiam regētibus, Venetis Cassiodorus ille Prætorij Præfectus inter cætera maritimum in epistola xxiv. duodecimi libri, territorium describens, ab Austro Padum Rauennam vsque protendit, & ab Oriente ad littora maris Ionij. Quid, si deinceps, Gothis expulsis, & Italia ad Orientis perueniente Imperatorem, ex opportunitate Veneti, territorium suum præclaris auxerunt facinoribus? Prætereamus Thomam Fazellum, Platinam, aliosque non paucos, gratam priscis illis temporibus eorum facientes mentionem, &, breuitati studentes, capiamus Duces Reipublicæ illos vetustissimos, Iustinianum, Petrum Tradonicum, Vrsum, Petrum Candianum, Petrum Tribunum, Othonem Vrseolum, Dominicum Syluium, Vitalem Phaletrum, Vitalem Michaelem, cum cęteris ad Sebastianum Zianum, quos omnes & singulos connumerari, sicut valde prolixum fortasse esset, ita & molestum; hos referunt Supplementum in vndecimo & duodecimo, Sigoniusque in quarto, quinto, & sexto libris suarum historiarum, attestantes de classibus, quibus, vt rem facerēt gratam Imperatoribus,

sum-

summisque pontificibus profecti Duces contra Mauros, aliosque dirissimos Scithas, & Barbaros, diuexantes Apuliam, aliasque ciuitates & oppida, mari ipsi contermina, nec non occupantes Vrbem illam sanctam Hierosolimorum, de illis quam sæpissime triumpharunt, suum terra, marique dominium magnificientes. Infra hæc tempora nullus hoc reperitur Princeps alius à Veneto, qui percurrat mare, qui in illo classes formet, contineat, illisque piratas, prædones, Barbarosque repellat; nullus, qui iure maris, nauigationisq; Veneto aduersetur, immo Dalmatæ, Istri, Liburni, Picæni, Apuli, Imperatores ipsi, ipsique summi & sancti Pontifices Venetos vocant, eorum opem & auxilium implorant, vires, dominiumque illorum fatentur, & recognoscunt. Hoc ignotus Aduersarius consulto fugit, & præteriuit, subdole sumens exordia a Sebastiano Ziano Illustrissimo, strenuissimoque Principe Venetorum, dicensque ante illum, Rempublicam, incapacem viribus, consuetudinem inducere minime potuisse; sed videat, legatque Forcatulum, Antoninũ, Platinam, aliosque plurimos contestes de fortissimis triremium, nauiumque innumerabilium expeditionibus, &, ob mendace suppositum, paueat, pereatque.

Cæterum & de temporibus *Ziani* præclarissimi Ducis non est, qui nesciat Federici, qui tam atrociter Alexandrum tertium Romanum Pontificem persequebatur fugientem, Venetijsque latitantem, filium Othonem nauali prælio mirabiliter a Venetis fuisse superatum. Et licet satis imperite sciolus Aduersarius id colligere sibi videatur tanquam nostrum vanissimum figmentum, testis nihilominus sit huiusmodi veritatis Biblioteca sacra illa Vaticana, quæ, perillustri episcopo Milis authore Ferreto, tot, tantisque vetustissimis Venetæ Vrbis traditionibus, & monumentis, adiunxit Obonem Rauennatem sacerdotem seculi illius scriptorem, qui historiam hanc adamussim delineando, sicut veraces nos, mendaces blaterones ostendit secus existimantes: eoque magis, ex quo Regia item Vaticana pluribus præclare gestis historialiterque picturata nostram antefatam refert, & repræsentat. Sed ad quid, mi dices Laurenti, historia hæc, quæ ad consuetudinem nihil confert? vtique conf rt, si consideretur, ad hanc vsque horam tenuisse semper instructam classem, qua obuiam Dux iuit Othoni, secum conflixit, eum terruit, eum cœpit, adeo vt vno omnium ore, & consensu, præsentibus tum Pontifice, cum corona diuersorum præsulum, cum Imperatore, non absque Procerum multitudine, Dominus

 maris

maris acclamatus, nemo inficias iuit, quin postridie prius ab Adriā hucusque nuncupatum, vt nobis testati sunt Plinius, Pomponius, Strabo, Diaconus, aliique ex recentioribus, plurimi, mutata appellatione, Venetum vocitari consueuit. Figamus hic quæso pedem, & audiamus bellum hominem, nullum, dicentem, inuenisse, demptis Venetis proprijs, qui Venetum appellet mare. Audisne, Laurenti doctissime, scribentis petulantiam? vidit legitque libros omnes, & illorum nullus, nisi Venetus, ita mare appellauit; erubescat, conturbetur ob mendacium istud. Refert Iohannis Villani historiam, illam non legit, ea abutitur tamen, vt suo loco videbimus; legat igitur eum *in primo libro* capite quinto. Petat, & discat dictionarium Ambrosij Calepini, *Mare superum*, inquientis, *olim Adriaticum, nunc Venetum*. Legat iste rusticus Cosmographiæ Professor, seu potius prostitutor, expositores Ptolomæi in Europæ tabulam sextam, Sebastianum Munsterum, & ad illam in appendice, capite de Italia, & in particulari tractatione, quę de Germania nobilissima circumfertur. Ibidem legat Michaelem Villanoua, Abrahamum Ortellium, necnon Michaelem Cognetum in tabula de Italia. Omitto, quem vidi & legi ita Venetum nuncupantem hoc mare, Arnoldum de Arnoldis Flandrum; Omitto Maginum, quia Paduanus; Omitto Rosaccium, vt virum non magnæ opinionis, & accipio eruditissimi Mercatoris testimonium, is etenim vbique Atlantis sui ex opportunitate semper illud Venetum appellat. Quid? & subditi incliti & potentissimi Regis Hispaniarum, abhorrent mendacium, quod Aduersarius lubens profitetur. Videat Commentaria super institutionibus Iustiniani, quæ prodidit eruditissimus Iohannes Baptista scuro Messanensi Academicus, libro secundo *de acquirendo rerum Dominio*, vbi Venetis titulum consuetudine natum esse testatur, Capaccius ille Cæsar seculi huius nostri Doctissimus vir, in suis Neapolitanæ vrbis historijs in commendationem Iacobi Sanazari proprij contentis, ex cæteris memoria dignissimis, carmina illa refert, quibus ad astra ferens Venetam ciuitatem, eam confitetur, *toto ponere iura mari*. Ludouicus de Thuar, propria natione Hyspanus, supradictis scriptor antiquior, in commentarijs, quæ edidit ad Sybillæ Erithreæ epistolam, *Adriaticum mare*, dicit *Venetum*, & *Venetorum*. Nunquam finirem, si quos ipse vidi contra Blateronem aduersarium omnes colligere, mihi esset in animo. Recurrat ad Historicos quoque in sui maiorem, verecundamque confusionem, quorum vnus est in tertio libro Iohannes Gobellinus Pij secundi

Pontificis

Pontificis contemporaneus, is etenim, commemorata primum Francisci Spinolæ Præfecti Classis Genuensis, captiuitate, subdit, mox Venetos, qui diu in continenti Italiæ nihil obtinuere, *Maris Dominos habitos* fuisse. Carolus Sigonius alter, *De Regno Italiæ, libro octauo*, idem significare volens, Genuenses, dicebat, Pisanosque ad inferum mare locatos, rem tractare naualem, non mercaturam solum vt ante, sed etiam rei militaris causa, cœpisse, Venetorum exẽplo, qui superum incolebant. Tertius est de Familia Vrsinorum Iacobus Sansouinus libro secundo Historiæ; hic enim referens, Gabellarum occasione, quas optima cum ratione Venetos imponere potuisse ostendit Iohannes Bertachinus, de Vectigalibus parte prima alios referens, affirmansque, eos Dominos maris ex consuetudine, solos, testatur, Anconitanos refractarios extitisse; sed quoniam, tum temporis generale concilium Lugduni celebrabatur, ei datum huius difficultatis punctum, deficientibus Venetorum aduersariis, contra illos resolutum, pronuntiatumque extitit. Denique, vt ad finem veniamus Historicorum, Iohannes Baptista Adrianus, Florentinarum Historiarum, libro vndecimo, testatur idem prorsus, adeo vt mirari liceat lippitudinem Doctoris Aduersarij nostri, qua detentus tot testium neminem viderat, & legerat omnes, & vel, illos legendo, potabat potius, quam putabat. Hijs addere possemus quę commemorantur a Philippo Bergomate in duodecimo supplementi libro, & a Carolo Quarto pagina 27. proprij itinerarij sui; ille namque verba faciens de illustrissima familia Montisferrati Marchionum, narrat, vi Venetorum, Conradum & Gulielmum fratres, filiosque Bonifacij, hunc volentes a captiuitate Soldani, qua detinebatur, eripere, in Adriatico parata classe, fuisse fugatos; hic vero de semetipso testificatur, nisi arte, astutiaque sibi procurasset salutem, Adriatico mari commissũ, procul ab omni dubio, quemadmodum triremis & familia sua remanserat, captiuum Venetæ classi, quæ Gulphum circumuagabatur, futurum esse. Caueat tamen, qui legerit supplementum; vltimum siquidem, seu potius vltimo, impressum non correptum in hoc, sed corruptum circumferri; quod enim imprimi Brixiæ curauerat, correxeratque Author proprius, nostram habet lectionem, cui standũ esse, ostendit exemplum citati Caroli, & ratio, qua, inscijs Venetis, nemini armato licitum est transfretare.

Tot probatissimis scriptoribus cognitam, tanta temporum diuturnitate prognatam veritatem impetiturus vespertilio, discrimen

præacci-

præaccipiens, quod cognouerunt eſse ciuiles inter conſuetudinem, & præſcriptionem, ea, dicit, quæ publica ſunt, absque vniuerſalis detrimento, fieri propria; hac autem indui hominem, eo, quo aliquis alter expoliatur. Subdit, conſuetudinis eſſe, vſum continuati temporis, & nunquam interrupti; quod vi alicui venienti ſaltem bis fuerit facta repulſio; ac poſtremo, vt id obtentum ſit omnium vniuerſali conſenſione. Quibus ita munitus concluſionem colligit contra Re publicæ Venetæ conſuetudinem, tum quia bis in Adriaticum ingredientibus hoc anno Hyſpanicis claſsibus, Veneti minime reſtiterunt, vt facere tenebantur, per illa, quæ dicuntur ab Innocentio Tertio, *in capit. Bonę. De poſtulatione Prælatorum*, tum quia conſtat Regias, claſses, aliorumque Principum triremes, aut naues ad eorum ſemper libitum, mare hoc tranſitaſſe, neque de Venetis haberi aliquid eis in contrarium.

Verum ijs, quæ enarrauimus de conſuetudine, ſuperaddentes, cum ciuilibus & canoniſtis etiam nos, eam potiſsimum ſibi vendicare locum in ſeruitutibus, & in iuriſdictionibus, &, quemadmodum titulum fidemque præſupponit præſcriptio, eam ita requirere vſum, curſumque ſaltem annorum quadraginta; inferimus veriſsimam concluſionem Venetorum, qui per tot ſecula fuerunt in poſseſsione Maris huius, falſumque penitus eſse ab hoc ignoto homine excogitatum fraudulenter de conſuetudinis interruptione. Si profiteatur canonica iura, & ciuilia, videat, legatque digeſto ſtomacho, ne ſcotomia aggreſsus, vt fallat alios, decipiatur, Cardinalem Zabarellam, qui, poſt plures, *in finali Capitulo de Conſuetudine*, tot, inquit, vices, vel omne illud ad interrumpendam conſuetudinem oportere, quot, vel quod ad illam fuerat neceſsarium. Melius item videat ſuum relatum Balbum *in quarta parte quintæ principalis duodecima quæſtione in additionibus*, vbi firmatur tot annos requiri ad illius abolitionem, quot ad eiuſdem inductionem neceſsarij fuerunt. Ne abutatur, vt facit Innocentij doctrina; attendat ciuiles textus, ſi eorum peritus eſt. Illius enim hæc ſunt verba: *Debet conſtare per expreſſa verba vtentis, quibus exprimat, ſe vti actu ſeruitutis, intendens vti iure, quod habebat, nec alius contradicebat facto, vel dicto, ſed patiebatur.* Illorum autem ſunt iſta, in lege prima, *Quod vi aut clam; Occurſum*, inquiunt, *eſt calliditati eorum, qui vi, aut clam moliuntur: iubentur enim reſtituere, & parui refert, vtrum ius faciendi habuit, ſiue non: ſiue ius habuit, ſiue non, tamen tenetur interdicto, propterea quod vi, aut clam fecit: tueri enim ius ſuum debuit, non iniuriam comminiſci*. Hinc Vlpianus

lege

lege xvij. & xviij. De acquirenda, vel omittenda hæreditate, si quis, inquit, vide possessione deiectus sit, perinde haberi debet ac si possideret. Quid, Motine, mihi dices de Authore ignoto, qui scriptores nostros partim incusat de falsitate, & corruptione legum, partim de auaritia, qui auro corrupti Venetorum obnubilauerint doctrinarum veritatem, partim de ignorantia, qua nescierunt intelligere veteres, illosque interpretari? Nonne incidit in foueam alijs ita fraudulenter, ita dolose paratam? Ostendat primum, quando, & cui Venetæ Reipublicæ præmonuerit aliquis, Hispanam classem iure suo vti velle, & ingredi Adriaticum mare; doceat de Venetorum responsione, iuxta supra allegatas doctrinas suas, & tunc merito tanquam fidelis & sincerus disputator laudabitur a nobis. Audiat, vt nihil ad rem prætermittamus, quid & de præmonitione dicant præinductæ leges; *si quis*, inquiunt, *denuntiauerit, se opus facturum, non videtur clam fecisse, si post denunciationem fecerit. Debebit enim & diem & horam denunciationis complecti, & vbi, quod opus facturus sit, neque quidem perfunctorie, aut obscure dicere, aut denunciare, neque tam arctare aduersarium, vt intra diem occurrere ad prohibendum non possit.* Cur scripto suo subticuit denunciationem? hoc profecto sibi potissimum erat animaduertendum, Innocentium candide, sincereque & alios referre tenebatur; exprimere locum, ad quem ventura erat Hispana classis; ita decet viros probos, & ingenuos, ne rei, de qua agitur, veritas remaneat labefactata.

Igitur contra iura ingressa classis, nil mirum, si nil item concludat argumentum, si, iniuria vsa, aggressa fuerit merces, ac, plena piratis, & prædonibus, non venerit ad finem, ad effectumque de quo præsens est instituta disputatio sed ad prædandum, ad depopulandum mercatores, si, fœdere iuncta cum sicarijs, & sceleratis illis nefandissimis, qui mare, terrasque Venetorum quotidie deprædabantur, artem illam, quam Nembroth ille arrogans & superbus, docuit in Officina sua, exercuit in illorum protectione. Digna res Christianis Principibus, Catholicis militonibus tueri furtum, iuuare latrones, contra naturam, contra Deum, quem denique irritatum, debita cum iustitiæ ratione, opportunis temporibus in exemplum aliorum, pro certo teneo, compensaturum. Scribit quippe Isaias propheta ille beatus cap. 33. contra istos. *Vhe qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* veritas per se loquitur, furta de se patent, fures sunt perspicui, de tutoribus non est dubitandum, quod sanguis oppressorum in cœlum clamitet, non est qui timeat, ex-

pectemus itaque euentum, & procedamus ad aliam rationem Aduersarij.

Ea porro dicit, toties quoties sibi libuerit, suis classibus hoc mare transiuisse, adnauigasseque Reges & Principes, vt exemplis pluribus dolo malo tamen, patefacit. Nam veritatis proditor per obreptionem, & subreptionem sui scripti lectores fascinare conatur; taliaque dicit, multa narrans, quæ taceri ad propositum magnopere necessarium esset. Nonnullorum quidem tacet qualitates, quasi intelligentibus exploratissimum non sit, eas non probantes, nec actus, quos intendunt, vlla ratione probare posse. Quis est ita nescius, vt etiam sibi non pateat Gulielmum, Rubertum, Henricum, Vladislaum, & alios, quotquot inducere voluerit iste tenebrosus disputator, Adriaticum nostrum transiuisse, hunc ignorare, si vt Domini, vt prætendentes, vt amici, vt confœderati, ac alijs rationibus & causis, propter quas & scientia gignitur illius, quod quęritur; & remouetur ambiguitas, quæ ignorare facit, nil de iisce transitibus scientifice habere posse? Hoc, Laurenti doctissime, suum erat ostendere, & non scommatibus impudenter decipere velle alios. Scriptores Neapolitani, vt optime nosti, expresse testantur, Gulielmum, Federicum, Conradum, Manfredum, Carolum Angioinum, & alios in fœdere, & amicitia extitisse cum Republica Venetiarum; videat, de primo, Collenucium; de secundo, Iosephum Constantium, de tertio, Iohannem Villani, eundemque de quarto: de quinto Thomam Costo, Nicephorumque Gregoram, & mendax, vt ipse, sim, si non inuenerit dictorum singulorum veritatem. Gulielmus itaque, quem vna cum alijs non spernendi nominis Authoribus, inducit, mutuasse, Venetias eundi gratia, Alexandro tertio summo Pontifici, terdecim Triremes: & quem, nos dicimus, eas dedisse familiæ Alexandri, non Alexandro, Cardinalibus, alijsque Episcopis & Prælatis, per Venetos, post consequutam victoriam de Othone, illas non misit, insciente Republica, nec vt sibi inferret iurisdictionis præiudicium, sed vt amicus, vt confœderatus Venetorum. Henricus (quem die 28 mensis Septembris 1197. a Cęlestino Romano Pontifice excommunicatum Mesanæ mortuum esse, constat) nil ad rem facit introductus ab Aduersario, sed Fridericus Constantiæ filius (quem postea suscepisse Regnum, Adriaticumque, testatur, transfretasse) potuit, sicut vsus est Reipublicæ familiaritate, & amicitia, discurrere mare, Venetias item se recipere: quando autem hostis Apostolicæ sedis, (inimicus proinde Rei-

publicæ)

publicæ) factus, Pisis classem misit suam, habuit (Collenuccio teste) obuiam illam Venetorum, a qua fractus, & fugatus fuerat: sed hæc quid ad rem? nihil prorsus quærentibus, pugnantibusque in mare Dominium Venetorum, sicut neque transitus Conradi. At quæ effutit de Conrado Aduersarius noster ridiculosissime proposito suo deseruiunt: nam Villanus ab eo relatus, & Collenuccius pariter libro quarto fatentur, hunc vtique per Adriaticum transiuisse, sed auxilio, & nauibus Venetorum. Siccine contra Venetam Rempublicam formantur rationes? Itane graue mihi dicebas subiturum esse certamen? Ironice fortasse loquebaris, nam & quæ de Principe Manfredo Blatero iste sibi fingit, toto sunt cęlo vana, nihil faciunt, Villanus immo significat, eius cum Veneta Republica intelligentiam, cum libro sexto capite xxxxv. narrans, quos miserat in Alemaniam, de legatis suis, affirmat, Triremem, quæ illos duxerat, Venetijs etiam illos expectasse. Quantopere ab re sint etiam quæ subijcit de Carolo Angioino, patet consideranti, satis quippe nobis est, in confœderatione fuisse hunc Principem, Galliarum Regem, & Venetam Rempublicam, vt simul Hierosolymam versus adnauigarent, sed instructissima classis hæc, dum temporis expectaret opportunitatem, & Carolum, qui erat apud Montem felifcum, accidit bellum inter Rogerium delloria & filium Caroli, qui magnam passus cladem, coegit Patrem redire, & a confęderatis tollere suas Triremes Messanam versus sequi inimicum, videat Coslo, Nicephorum, Iohannem Commenum, & Villanum, ac postea mihi dicat Aduersarius quomodo hæc sibi possint deseruire.

Hactenus quæ in exemplis a se propositis consulto prætermissa, a nobis iuuantibus rationem suam dicta sint, dicturis de illis, quæ poterat, eratque melius præteriri. Nam Tancredus, Gulielmi Nepos, quem refert, nil penitus iustificando propter quod referre tenebatur, stat ociosus in hoc loco, sicut & Carolus secundus; Nil profecto de eo ad rem vnquam reperire potui. Dicit solus Villanus, quod ad Regiam prouectus dignitatem anno M.CC LXXXIX. parauerat quidem classes nonnullas, sed eas detinebat in Gulphu Taranti. Videat librum Octauum Cap. CXXIX. Eius item filii fecerunt similiter, vt apud eundem Historicum lib. Octauo Cap. CVIII. libro nono Capit. LXI. ab anno MCCCIX. vsque ad MCCCXXV. adeo vt frigidum est exemplum & nihil probans, ac tanto minus, ex quo testificatur Collenuccius, Venetos ijs suas

præstitisse triremes, ad manifestam intelligentiæ inter Principes ipsos coniecturam. Ab ijs non dissimile est, quæ narrat de Iohannaprima, deque cæteris Pannoniæ Regibus, cum enim, neque ostendat, neque ostendere valeat, vt transierint Principes illi Adriaticum mare, vel vt Domini illius, vel inuitis Venetis, vel vt illos turbaret in iurisdictione, cum requisitis alijs, laborat inaniter, tempusque consumit. Nam Author historiæ de Vschochis, parte secunda, plurima dicit, in quibus manifestissime videtur, a Republica Veneta, Reges hos nauigandi vehendique frumentaria, nec non alia, recepisse facultatem. Sed multo frigidiora, ociosioraque sunt, quæ affert, exempla Turcharum. Præsupponit siquidem, Mare, ad instar Pomarij, sepiri posse, neque considerat, quod cum se habeat velut via, & custodiendum multo difficilius: quemadmodum accuratissimi Principes, quantalibet vtantur diligentia in suis vijs custodiendis, quandoque dormire videantur, ob audacissimos grassatores, ita absque eo, quod grunniat aduersus custodiam Venetorum, admittat eos dormitasse. Sed id quoque admirabile est: vult enim inuidiosus iste, lynceam in mare Venetam debere esse custodiam, vt pro damnis passis teneatur, factus immemor, quoque, si verum esset hoc, Venetis maxime teneretur Rex, cui maxima classe existente, Ionium sub cura sua tenens, Turchas exire, & in Adriaticum labi permittit, vbi classicula Reipublicæ reperitur. Puerilia sane, vt, mi Laurenti, recte cognosti, sunt existimanda, reijciendaque: non probant, quę probanda suscepit: suum quidem probare erat, iuxta doctrinam Innocentij, toties non obstitisse Venetos, quoties alij Principes mare eorum ingredi voluerint, cui repetimus cum eodem Innocentio, & per expressa verba expresserint, se vti velle actu seruitutis & iure, quod habebant, Venetis facto vel dicto minime contradicentibus.

At fortasse vrgebit, vel vrgere putabit nos locum a Sabellico libro secundo decadis quartæ depromptum: dicit enim, magna extorsione, &, cum impudentia, abutens tanti viri authoritate, tribus, post quinquaginta, triremibus, fortissimum Ferdinandum Ferantis filium totum Adriaticum percurrisse mare, fugauisse classem numerosissimam Venetorum, & iuxta positum Marcello eorundem Præfecto Issenam, Dalmatiæ insulam, ita deuastasse, vt timore perterriti existimauerint, de imperio maris actū esse. Noua hæc est huius Lucifugæ Metēpsychosis, ideo & attēdēda, & irridenda. In-

da. Introducta namque narratione contra Rempublicam socialis belli. Sabellicus ipse soluit veneficium; cum esset fama, inquit, Ferdinandum, auxiliantibus Pontifice, alijsque Principibus, parauisse classem magnam, Senatus vero, vt in hoc etiam resistere posset inimico, iussit, Iacobum Marcellum, qui in præfectura classis Superātio successerat, omni vacare diligentia, ne quid Respublica pateretur in Insulis aut in Gulpho circa Histriam, atque Dalmatiam, ac si tuto fieri posset, inferret molestiā Apuliæ, atque Calabriæ, quemadmodum fecerat Superantius. Non erat vix prouinciam ingressus Marcellus, cum Federicus Aragonius (non Ferdinandus) Ferdinandi filius, iunior, & generosior, tribus, apud quadraginta, triremibus in Anconæ portu contineretur. Hoc sane multum, maximeque Senatus vexabatur, quoniam veri simile erat, si inimicus ibi cō sisteret, Venetis mare prohiberet: tota ciuitas oculos intendebat in Marcellum, singuli omnes ipsum, classemque suam intuebantur, existimantes de maris imperio actum esse, cum inde vi non expelleretur, quod, videbatur, fieri nō posse absq; periculo manifesto cōflictus. Tota igitur ciuitas expectabat, Marcellū, qui laderæ erat, vel incendere classem in portu Anconæ existentem, ex improuiso, vel, ad pugnam redigendo, eam inde propulsare. Interea autem dū suppleret turmas nauiū, quæ ex Pado conductę erant fere penitus vacuæ & hostis de loco diffidens, vela dedit, & triduo priusquam aduenisset Anconam Veneta classis, abscessit. Et paucis interiectis, subdens, hostis, inquit, ductus in altum, vt frustra se non venisse declararet, ex improuiso aggressus iam dictam insulam, totam quasi ferro, igneque consumpsit, sub Corcyra non minima suorū mortalitate reiectus. Ex illo hæc, quæ ipse tu videas, si inter se cohærent, quid conferant instituto præsenti.

Quicquid igitur sit de suis exemplis remotissimis, per vnū, quod vocat Axioma, nos paradoxum potius, nostram rursum tentat obnubilare veritatem, dicit enim, per Naturam mare commune esse, & ideo illud sibi appropriare posse neminem. At nos, qui hoc in ore aduersarij frequēter cernimus, declaratum non videmus, quid appellatione Naturæ velit intelligere, alijs significationibus prætermissis, duas solum consideramus, Naturantis, & Naturatæ. Prima profecto est Deus, omnium Naturarum fons, & origo; Secunda creatura generaliter sub Deo constituta, & sub se omnes Naturarū species comprehendens. Ratione Naturantis dicere non potest aduersarios, mare, non secundum se totum, de quo non est sermo,

ſed ſecundum partes appropriari non poſſe, quia nulla eſt illius lex prohibitiua; ſed ratione Naturatæ, ad quam præſertim nobiliſſimã reducere humanam, neceſſe eſt, in illo principio veritatis, *dominamini piſcibus maris*, *Geneſis capitulo primo*, nunquam reuocato, meam intelligendam cenſeo concluſionem. Si namque, vt Regius Propheta cecinit *octauo Pſalmo*, eſt certum, hominem, à Natura Angelica paulo minus diminutum, à Deo ſuper omnia opera manuum ſuarum fuiſſe conſtitutum; Mareque, vt in *Pſalm.96.* legitur, Dei eſſe, & ab ipſo factum; quis non videt, & maris dominationem habuiſſe vnà cùm piſcibus? videat gloſſam in *cap. dilectiſſimis*, 12. *q.* 1. *verſ.aer.* videat Baſilium *ſup.Geneſ. Hom.*10. Nyſſenum *cap.4.de opificio hominis*, Baſilium Seleucẽſem Epiſcopum Oratio.x. & Hieronymum Vielmum Epiſcopum doctiſſimum: dicunt etenim; *porro ſi homini in animalia ius & dominium datum eſt, multo magis ſane id ei tributum eſt in elementa*, igitur, quoniam vi dominij ſibi licitum fuerat in partes terram diſtribuere, vt in eadem notat Homilia Baſilius, Ambroſiuſque in Exameron libri 3. capitulo 3. proculdubio fiet & potuiſſe in partes diuidere mare, eaſque denominari à prouincijs, & populis (vt in Solinum *cap.* 38. notauit Cameſtres) qui eis, vt prædiximus, dominati fuerunt. Hijs magni Hiſpaniarum Regis Pediſſequus cõtradicere non poteſt, nec debet; Rex etenim ſuus ad Martinum Alphonſum de Caſtro Indiarum Proregem ſcribens, ſe exemplum typis impreſſum edicti mittere ei dicit, quo prohibet commercium omne externorum in partibus Indiæ, alijſque regionibus tranſmarinis. Pariter Romanus Pontifex, cuius Anomalus author fit in Adriatico inſulſus Patrocinator, hoc idem approbat, cum pro iuribus eccleſiæ tuendis inter Terracinã, ac montem Argentonum maris pars tyrenl proclamatur per pragmaticum, vt caueri debeat. Abeat itaque cum Axiomate ſuo, vel potius, vt decet virum non adulatorem, ſed prudentem argumentetur ex antedictis; quod ſi Veneti a tanto tempore, cuius initium nõ cadit ſub memoria vllius hominis, abſque alterius iniuria, mare hoc Adriaticum inhabitare ca pertinet, iuxta textum *in leg.4. ſequitur. De acquirenda vel omittenda hæreditate: vbi Paulus*. Si ab eo pluries eff gauerunt Piratas, Prędoneſque & Mauros, qui illud infeſtabãt, iuxta textum pariter *in lege permiſceri*, Sub eodem titulo euidenter, neceſſarioque concludat, eos maris huius legitimos eſſe Dominos, vetare poſſe quibuſcunque ſibi libuerit, ingreſſum, etiam (vt optime docet Gomeſius Sarnenſis Epiſcopus, repetens ſuper capitulum,

tulum, *licet, de constitutionibus)* quod nulli fuissent eorum actus, & absque Imperatorum Orientalium scitu, & approbatione.

Neque obstaret quicquam si quis cum aduersario diceret, ciuitatibus ipsi mari conterminis competere ius aliquod in ipso mare; Distinguentes enim fatemur particulare ius illis quidem competere, easque ad modum particularium ius habere in illo, quo ad vsum: quemadmodum, vt bone Laurenti, recte scis, experientia comparatum esse, vt naturalis subditus Magni Ducis Hetruriæ, ob prædia, quæ in Bononiensi fortasse habere posset, illi ciuitati illustrissimæ subiiceretur: prædiorum enim illorum dominium particulare est illius ciuis Tusci absque præiudicio Dominij vniuersalis cōmunitatis Bononiensis. Propterea, licet hic ciuis, quo ad personam, nil teneatur Dominis Bononiensibus, tenetur nihilominus illis respectu dictorum prædiorum. Sic Veneti, vt in suo libro *de iurisdictione* tradit Martha Neapolitanus, habent vniuersale dominium Adriatici totius, cui dominium non obstat particularium ciuitatum, immo, ob illud, Venetæ Reipublicæ subijciuntur, neque earum Principes hanc illis subiectionem possunt cum ratione impedire. Addo, quod si, ex ciuitatibus Maris conterminis, aliquæ de recenti fuissent ædificatæ, nuperue ædificarentur cum nominibus nouis aut vetustissimarum, quæ destructæ forent, hæ vtique impediri possent à Venetis; tum illæ, quoniam nihil si discontinuetur, idem numero reparatur, tum istæ, quia, insciente & nolente Domino totius, potest nullus particularis ius acquirere in Dominio suo, vt manifestissime constat.

Ne igitur, vtque partem hanc debito concludamus fine, inposterum ita oscitāter obloquatur aduersarius, quod Respublica Mari leges imponere velit, non inferioris, aut sui æqualis, sed maximi Regis Hispaniarum, id aduertimus mendacium esse apertissimū, quia Respublica eum honorat, sed a seculis in possessione existens, nunquam audiuit de huiusmodi prætensione, neque quomodo illam possit habere, vt ex natura consuetudinis demonstratum est.

De Priuilegijs autem nobis dicturis præsupponendum est, ea secundaria esse fundamenta Venetorum, non principalia, quæ examinata fuerunt. Verum nihilominus est, Priuilegium esse duplex, inductum, & datum, respectu primi, concedi oportere, vi priuilegij possidere Venetos, ex quo etiam consuetudo priuilegium inducit: sed respectu secundi, nequaquam, sed quatenus de consuetu-

ſuetudine noſtra teſtificantur, eam recognoſcunt, atque decantunt. Hæc porro priuilegia (quæ ſe vidiſſe teſtatur Iulius Ferrettus Rauennas. De antiqua inſtaurata & illuſtri militiâ. Quæſtione De non pugnando niſi vrgente neceſsitate) alia ſunt Imperatoria, alia Poſitificia: Omnia tamen data Vniuerſitati Republicæ totius, adeo vt ſingularis nemo de Vniuerſitate illis renunciare poſsit, etiam reſpectu proprij fauoris ſui, cum formaliter & ex propria intentione Rempublicam ipſam concernant, iuraque ſua tum vrbis, cum Adriatici maris firment, & ad perpetuā memoriā, ex certa ſcientia, & de poteſtatis plenitudine muniant.

Contra ea omniſcius Aduerſarius noſter armatur, fraude, videlicet & dolo, tum primo, quoniam præſupponit, primum Venetorum priuilegium eſſe Aleſſandri tertij, tum ſecūdo, quoniam ex Axiomate ſuo, quod mare cōmune ſit ſecundum naturam, & neminem illud ſibi appropriari poſſe; infert, neque haberi Principum conceſsione. Vt ad primum pertinet, *multa*, iuxta vulgare illud, *dicit, & nihil probat*. Vnum, quod Alexandri hiſtoria fabuloſa ſit, & remouenda. Aliud, ſe in Vaticano vidiſſe codicem eorum, quæ fecerat Alexander. De illo remouendo, ab authoritate agit: ob aliud autem, ſoporatus neſcit quid agere debeat. Hiſtoriam itaque aggreditur authoritate Romualdi Epiſcopi Salernitani, Gotefridi Viterbienſis, & Abbatis Vſpergenſis, & ſic argumentatur. Hi doctores nil dicunt de priuilegio huiuſmodi, de hiſtoria, quam ſibi veneti cōfinxerunt, de inueſtitura maris: igitur nil eſt, vanum eſt, fictitium eſt, fabuloſum eſt, quod à ſcriptoribus venetis fabulatur. Doctores etenim ſupracitati ſpectata fidei, & probitatis ſunt, contemporanei ipſi Alexandro, præſentes ſuis operibus, ſeruientes perſonæ illius, igitur cum, ex cæteris, hanc omittant hiſtoriam, nec imaginari debet ab alijs, qui multo poſteriores ſcripſerunt. Neque dicendum, ſubdit, ex Archiuis & ſcriniis Reipublicę eſſe deductam: quoniam corruptibilia cum ſint, & diſpoſitioni ſubiecta venetorum, non habent publicam fidem, non probant, non eſt eis credendum.

Aliud, quod iaculatur, argumentum, aduerſus priuilegium Alexandri, eſt, ſe codicem in Biblioteca reperiſſe Vaticana, vniuerſa continentem, quæ Reipublicæ fuerunt ab Alexandro conceſſa, ſed in eo nil vidit illorum, quæ Venetis conceſſerat Alexanper: & ſi quid in eo eſt, ſolum diſtrictus eſt ciuitatis, qui Clodiam non excedit. Neque obſtat, inquit, noſter incognitus Obo, par-

tus quippe est Venetorum Archiuorum, igitur sine fide.

Has facit argutationes Argus noster, eis non priuilegium proterens, sed Dialecticam, qua vti profitetur. Heu Aristoteles, nunquid vidisti argumentandi locum ab authoritate negatiue? Immo tu, Iohannes Euangelista, in capitulo finali, nos male docuisti, Christum Dominum fecisse multa, quæ non sunt scripta, quid ergo? credendum ne, an potius aduersandum tanto Philosophastro? Pereat dies, in qua natus est iste cunctis disciplinis phrygiatus, quid? responsio quæritur, responsio datur, illi Doctores perillustres & celebres, & si non dixerunt de hoc priuilegio, illud non negarunt: stant enim simul, vt te non latet, Laurenti mi, fieri, & non dici, factum esse, & non esse scriptum: dantique oppositum, illudve concedenti, vt facit Philosophista noster, quæ non sequuntur incommoda, & inconuenientia? Probarem vtique & ego contra illum, nec doctum, neque prudentem, quia id mihi nullus dicit, at prudens sit, ac doctus consideret quæso quæ subiunxit de Archiuis Venetorum, an nimirum dissideant a Neapolitanis suis, vnde Iohannes Baptista Scuro, Martha, & alii Doctores minime fascinari potuerunt. Sed nec verum est, Obonem partum esse Venetæ, sed Vaticanæ Bibliothecæ, videat, sed legat Hieronymum Bardi Florentinum id attestantem in collectaneis ad historiam huiusmodi pertinentibus, ibi enim dicit, episcopum Milis inde librum eum extraxisse; ne igitur, de more argumentetur, non inueni, non vidi, aut legi librum, igitur non est, est quid ignotum, vanum, inutile, nihil probans. Nam Corius, nominis non obscuri, vir, eum vidit, & refert: refert & alterum, scriptores, tempestatis illius, de veritate historiæ nostræ contestantes, & eos, cum ratione, sequitur Corius, quoniam, Aduersarii vnico, & singulari testimonio cæteris omnibus valentiori, Bibliotheca Vaticana est maximæ fidei. Sed ei, si adderemus & Hyspanam? nonne veritatis plenitudine nobis Venetis esset gloriandum? videat Tenebrio iste præcitatum Ludouicum de Thuar, verba illa Sybillæ, certa cum ratione, exponentem, *vsque dum sponsa diminuatur, &c.* Alexandrum vili habitu apud Venetias diu latuisse, & Venetorum auxilio præualuisse. Ergo Archiua Venetorum, per Secretarios doctissimos, & fidissimos, sub iureiurando, custodita, contra quæ crocitat cornix ista, Vaticanæ, Hyspanæque conuenientia, non sunt corrupta, alterationi supposita, neque suspecta. Pulchrius autem, & neruosius est aliud argumentum, dignum Dialectica sua syncopatè sumpta; est etenim ductum

C a co-

a codice eiusdem Vaticanæ Bibliothecæ, ideo validisſimum. Sed ad quid codex iste? quid narrat? quid continet? nescit. vidit ne eum? vidit. Legitne eum? nescio; credo verisimilius tamen eum non legisse, quoniam sciret in eo quid contineretur, quod nescit. Scirem ego nihilominus ab eo libenter, an aperuerit librum, quoniam timeo, illum non verum, sed pictum, sculptum ve fuisse, proinde vidisse, non aperuisse, neque legisse; ad impossibile profecto nemo tenetur. Ideo si aperiretur, districtum neque ad clodiam contineret: quid tuo tempore, Casſiodore? ad Padùm, dicis, igitur vltra clodiam, Rauennam versus. Sed sequamur Bubonem, quo vadat, nesciẽtem.

Introducit historiam Pipini & Magni Caroli, quod, vi, armisq; ab Italia expulsis Longobardis, dono tradiderint ecclesiæ Romanæ ciuitatem nostram; Non connectit subsequens cum antecedentibus, neque causam refert primæ subinferendi historiam istam. Volitamus secum etiam nos dicentes, si per eam intenderet inferendum, Alexandrum hoc donum Venetis relaxaſse, bonum profecto eſset argumentum, declaratis primum, quæ petit. Horum vnum est historiæ veritas, quam nobis fauere pro certo tenemus. Aliud hoc Alexandri ~~priuilegium~~ donum huiusmodi continere; probet vtrumque, neceſsarium est. Nos enim, vt nostra miſsa faciamus, habemus & Gallos, & Germanos testes, opinionem Aduersarij, de victoria Pipini & Caroli, expresse subsanantes, videat Rubertum Gaguinum, & Huldricum Mutium; &, si forsitan desideraret legere pacis capitulationes, vt quandoque desiderauit cernere eius dominus Pater Squitinius, petat eas apud Huldricum, eas fusiſsimè tractantem; & ab his sequetur, eos Principes dare non potuisse, quod non habebant, igitur nec relaxare Alexander, quod nunquam acceperat. Poſsem præterea multa referre ex ijs, quæ in hac historia dicit, risu digna, videlicet quod Pipinus Senior Stephano Papæ tertio de anno DCCCX. dederit vrbem istam, cum iam pateat, Pipinum hunc suum obijſse extremum diem anno DCCLVIII. testenturque Baronius Franciscus Consterus, & alij, iam annis quinquaginta Stephanum fuisse mortuum. Item dicit, aduenisse in Italiam Carolum, quoniam Leoni Papæ Longobardi erant impedimento, ne quiete ecclesiam regere poſset. Videat Bibliothecarios; omnes quippe dicunt, a Romanis Leonem fuiſse vexatum, & propter illorum insolentiam Carolum vocaniſse. Tertio, adscribit Græcis, & eorum inertiæ, quod præfatus Carolus &

acclama-

acclamatus & coronatus fuerit Imperator; cum, te, Motine, non lateat, Irenem extitisse, quæ pollicitationibus vanis & deceptorijs euadendi coniux illius, fieri primo Imperatorem dedit assensum; Postremo verba de Venetæ vrbis subiectione, faciens, toties, data opera, neutralitatem prætermittit, quoties de pace actum fuit inter Nicephorum & Carolum, de qua eleganter, præter alios, Nauclerus, vt infallibilem coniecturam, quod antea neutralis fuerit. Quod quidem, meo iudicio, aperta contradictio Bibliothecariorum probat; Cum omnes etenim viderint ecclesiæ factas donationes, & proximior illis temporibus, videlicet Bibliothecarius nuncupatus, cui magis cæterorum est adhibenda fides hanc tamen donationem non est, cur potissimum credere debeamus posterioribus, vt optime, in hoc, etiam contra Bernardum Iustinianum aduersarius argumentatus est in historia Alexandri. Sed, si accedat, quod Ludouicus, qui in Imperio successerat Carolo, ecclesiæque concesserat plurima, in diplomate suo narrat, quæ donauerant sui Progenitores, & nullum penitus verbum de Venetijs habet, quis dubitare potest de eo quod legitur in Hostiensi? & de superflua illius additione? Verum quicquid sit de hoc, vrgētius præmimur per historiam, quam affert Normanorum, ex septentrionali plaga, inquiens, eos descendisse sub anno 1018. in Galliam, vbi, occupata Regione, quæ ab ipsis sumpsit cognominationem, eorum Dux Rodulphus nomine, eiectus a Comite Ricardo, Romam venit, & Papæ gratus, missus fuit cum militib. suis ac alijs Romanis contra Græcos, & Mauros. Inter quos, subdit, fausta, infaustaq; fortuna belli geratum fuit vsque ad MLIX. quo tandem tempore Christiani nominis inimici penitus pulsi, subactiq; fuerunt ex Hostiensi; & propterea Rubertus a Nicolao Secundo Pontifice accepit inuestituram Apuliæ & Calabriæ sub Ducatus titulo, quemadmodū sub titulo Principis item eam accepit Capuæ ipse Richardus.

Nullam reperio huius dicterij sui applicationem a narratione historica valde differentis, credo tamen, per illud, argumentari velit; quod, cum Normani a sede Apostolica, longe ante Alexandrum tertium Sebastianumque Venetorum Ducem, fuerint inuestiti de Apulia & Calabria, cui adiacet Adriaticum mare, longe etiam ante Venetos, esse in maris possessione, neque eis Alexandrum potuisse præiudicare. Nam authoritate legis, cum decisum sit in codice *de classicis*, Dominum prouinciæ mari finitimæ, maris esse Dominum; fateri necesse est, Adriaticum ad Dominum Apuliæ pertinere Sed

C 2 hoc

hoc argumentum, vt in terminis loquamur priuilegiorum, petit vnũ, quod indiget probatione, Normanos videlicet, ante Venetos, fuisse priuilegia consequutos. Hoc est, quod in superioribus dignũ duxi adnotatione, quando a Sebastiano Duce exordiebatur. Non, mi Laurenti, eo duntaxat tempore, cœperunt Veneti incolere mare, vt antea patefecimus, sed quando, nec cogitabant Normani, linquere septentrionalia. Nec primum fuerat illud Venetis Alexandri Diploma, sed alia præcesserunt plurima Orientalium Principum, qui in vtroque maris huius littore dominabantur prouincias. Nec denique ex Pontificibus fuit primus Alexander, qui priuilegia contulerat Reipublicæ, sed eiusdem Nicolai Secundi, qui etiam eandem Christianissimæ titulo sibi complacuit cohonestare. Hæc profecto, mihi persuadeo, non habere hunc hominem in suo Grammatophylacio: sed quid ad me, etiam si argutabitur, ergo non sunt vera? assuetus iam sum in terminis Dialecticæ suæ: ideo eis prætermissis rem historiæ suæ videamus.

Dicit in primis Rodulphum a Richardo pulsum & à Pontifice Romæ susceptum, iuisse contra Græcos, atque Mauros, quibus tandem oppressis, & eiectis, exigit ratio, vt Rodulphus met, qui pugnauerat, vicerat hostes, & de ipsis triumpharet, reciperetque inuestituram, quam tamen, inquit, recepisse Richardum, a quo Rodulphus fuerat expulsus, & Rubertus, de quo nullam habuerat mentionem. Vtitur præterea pro testimonio veritatis eorum, quæ refert de Normannis, Hostiensis autoritate, qui lib. 2 capit. *36*. Hos, testatur, se recepisse in coniurationem quandam Rebellium aduersus Imperatorem, & quamuis conferentes manus cum Græcis aliquando victores euaserint, omnia tamen acquisita perdiderunt, in capitulo *66*. illos pulcherrimo effert elogio, quod essent Raptores. Sub anno M. X L I. in capitulo L X V I I I. quod fortiter pugnent, & vincant castra Græcorum, sed ne verbum quidem pro ecclesia: at cæteras Apuliæ ciuitates quod partim vi capiant, partim sibi faciant tributarias, inquit, & hoc modo a Normanis acquisita est Apulia. In capitulo L X X I. explicare incipit Hostiensis eorum cum ecclesia merita dicens, vt occuparent illius bona. Gotefridus quoque Viterbiensis parte X V I I. Chronicæ, Apuliam, inquit, Rubertus ingreditur, incolas terræ, (non Græcos, non Mauros) varijs modis, nunc potentia, nunc dolo, & fraude affligit. Sigonius libro 8. Omnia Normani, inquit, circumiecta loca infesta vsque adeo reddiderunt, vt ne a ditione quidem Mona-

chorum

chorum Caſſinatium temperarint; ſubdensque (inueſtiturarum præparationem) hæc erant, inquit, præter cætera Comitia Pontificum, Caſtitas clericorum, Collatio Eccleſiarum, Euchariſtiæ Sacramentum, & deprædatio Normanorum. Baronius denique à M.LIII. ad LX. Ipſe Leo, inquit, habita poſt Paſqua, Synodo Romæ contra Normanos exercitum mouet; vt taceamus cenſuras, quibus inuoluti ſe ſe expreſſe hoſtes Eccleſiæ patefecerunt. Hæc dixiſſe volumus, vt in poſterum, non per rimas portarum, ſed appoſite Hiſtoricos, alioſque libros legere velit.

Nam nec verum eſt, Nicolaum Pontificem ſecum contraxiſſe pacem, eosque abſoluiſſe ab excommunicationibus, vt cõtra Græcos proficiſcerentur, ſed moleſtatus à Romanis propriis, expediẽs iudicauit, Normanorũ in eos vti auxilio. Adhoc ne dedignetur, (q aliàs noſtra ex popina Fratrũ Charitatis eructauit prodiiſſe) petere Platinã, & heluniare etiam legem illam, quam adiecerat Hiſtoriæ iſti; ea enim loquitur in caſu, quo prouincia vnius Principis extenderetur ad tractum illius maris, & ſic mare pertineret ad Principẽ, ſi aliud non obſiſteret impedimentum. At in caſu noſtro, ſat eſt, vt particulariter & ad modum particularium Vrbes, & loca contermina Adriatico habeant vſum competentem particularibus, ſalua remanente vniuerſali iuriſdictione, & dominio Reipublicæ Venetiarum. Neque obſtat, quod gratis confingitur ab eo, nimirum Orientis Imperatores parum, aut nihil poſſediſſe in Italia; quia id eſt falſum; Eiectis etenim Gothis ab hoc Regno per Beliſariũ & Narſetem, eam potiti ſunt, & diuiſerunt poſtea cum Carolo magno, vt patet. Neque pariter obſtaret, ſi diceretur, Priuilegiorum conceſſionem inferre præeminentiam, ſuperioritatemque cõcedẽtium ſuper priuilegia huiuſmodi recipientibus. Quoniam iam dictum fuit eſſe honorifica, & in forma communi; propterea non inferre aliquid vltra conſuetudinem Venetorum, de qua ſatis abunde dictum fuit, ſibi enim fecerunt leges Pontifices, & Imperatores, vt veram, quocunque caſu, conſuetudinem titulum, poſſeſſionem, & Dominium Venetorum haberent, vnde nullus ſub Pontifice, neque ſub Imperatore id moleſte ferre poteſt.

Hanc hactenus declaratam veritatem, cognitam à veteribus Orbis legalis profeſſoribus, ſuſceptam, & vt communiter definitam a recẽtioribus, lippus Homo deturpare conatus eſt deliriis, & mendaciorum faſcinationibus; ideo, & quid illis reſpondeatur, patienter videamus. A Bartolo, & Baldo ad Iaſonem, non reperiri, inquit,

quenquam, qui Adriaticum appellet mare, seu Gulphum Venetorum, sed solum *eorum mare, eorum districtus littorum, quæ sub eorum imperio; & Gulphus, qui est in eorum Dominio*, per hæc nil aliud significando, quam districtum Ciuitatis Chlodiã minime excedentem. Glossa quidem (Doctore suo digna) sine fundamento est volens tot, tantisque Doctoribus aduersari, qui iam in Scholis adepti sunt nomen immortalitatis & gloriæ. Sed quid voluerunt Baldus, & Alexãder intelligere, inquientes, *in eorum Dominio habere Gulphum maris, & illius nauigationem, ita vt alijs eam possunt interdicere?* quid Pedagogista dicet ad illud nomen possessiuũ, quod id circo pronomen dicitur, quia stat pro nomine Veneto, & perinde significat, ac mare Venetum, vt Geographi, & Historici fuerunt interpretati? De verbo *Districtus*, petat dictionaria, si credere diffidat Doctoribus idem esse censentibus, ac territorium, istudque spatium esse Venetis, infra cuius fines ius habent terrendi. Igitur Doctores illi præclarissimi dum dicunt *mare*, nimis ample loquuntur, dum subdunt pronomẽ differentiale, mare illud distingunt ab alio, non a lacuna æstuaria, in qua posita est ciuitas. Doctores præterea, dum loqui voluerunt de ciuitate, aperte locuti sunt, non symbolicæ, (vt ita dicam) & per terminos proprios, ita quod de ea loquentes, etiam de illo, in quo posita est, locuti sunt, adeo vt aduersario minime velitandum est, aut fugiendum de altero in alterum.

Videamus item volo Doctores nobis fautores, an comparari possint, & debeant cum magno isto Bartolista, an sint calumniandi ab eo quod auaritia scripserint, & auro Venetorum, ita loquuti sint, corrupti. Est in primis Felynus, *in capitulo de quarta, titulo de præscriptione*; Martinus Laudẽsis in tract. *De Principibus, quæstio* 123. & 355. Caccialupus *in lege prima, Codice, de summa Trinitate*; Stracha *de nauigatione*. Iohannes Monachus *in Capitulo, vbi periculum, De electio. lib.* 6. De Anania *in Capitulo secundo de clerico venatore: Super Institution. Iustin.* Iohan. Oinothm *libro secundo, De rerum diuisione*; vbi Syluester Aldobrandinus; Aretinus; præcitatus Io: Baptista scuro, & alii plurimi: Omitto Bartholomæum Cæpolam: Pisonem; Marcũ Mantuam; Peregrinum: vt fortasse corruptos, vt iniuriose, calumniosęque dicit Aduersarius, cœteros ignorantes appellando. Addo tamen Ripam in lege *si insulam, de verborum obligatione*, & Balbum, quẽ cum pro se citasset, ab huiusmodi calumnia remotissimus esse debet, & fide dignissimus.

Sed hoc mirabile existimari debet, quod Balbus, cum Angelo,

Rayn.

Rayn.De Flor.& Ioh.de Anania, dicens, ex longa consuetudine, Venetos, & Ianuenses habere in mare iurisdictionem, stringatur ab hoc glossatore, quod Veneti habeāt vsque ad Chlodiam, quæ est vna ex insulis Venetiarum, districtū suum: & Ianuenses nil habent in mare, nisi quod vi acquisierunt, vt supra à Sigonio traditum fuit; habeant tamen Iurisdictionem in mare, vltra eam, quam iure præcitatæ legis in Codice, de Classicis, sibi possunt cōuenire. Res, Motine mi, de qua egit iste, vel est propria, vel attulit proprium commodum tanto Patrocinatori, sed vhe viam communem relinquenti in consiliis & in iudiciis; quoniam hoc est malum parere, à quo solus Deus, qui de lapidibus potest suscitare filios Abrahæ, bonum eripere potest.

Hæc Laurenti, de Mare Veneto dicta sufficiant scripto, quod mihi dedisti nudius tertius. in quo, tametsi alia quoque reperiantur à proposito quam maxime aliena, quæ potius scribentis animum exacerbatum patefaciunt, ea nihilominus prætermitti conuenientius mihi iudicatur, quam ad maledictorum vindictam videri velle prolixior. Quæ enim meminit de Ferdinando in bellis occupato cum Turcis, dicens, Venetos interea cupidos rerum aliorum, vt ei occuparent loca Regni, extitisse *paratos*, non sane loquitur, tum quia non est ad rem, quod dicit: tum quia hoc nō est verum, immo dolendi causam nobis suppeditauit Ferdinandus potius, quando Herculem Ferrariæ Principem a Venetis protectum contra Nicolaum, aduersus Rempublicam concitauerat: quando cū Matthæo Coruino ex industria affinitate coniunctus, fœdus initum cū Republica rumpere fecerat: & quando, mortuo Cypri Rege Iacobo, rebellibus fauebat contra Catharinam Corneliam, & filium legitimos Regni successores. Ad rem autem fuisset locutus, si epistolā suam, datam duci nostro Pasquali Maripetro è Fonte Populi, die nona septembris anni M.CCCCLVIII. indictione sexta, in scripto retulisset: in ea enim apparet, fateri hunc Principem, Adriaticum mare esse Venetorum. Ibi sane, verba huiusmodi proferuntur: *cū triremes Magnificorum Virorum Francisci de Orthona militis, & Matthæi Iohannis secretarij, & consiliariorum nostrorum fidelium dilectorum à nostris stipendijs hisce diebus aufugiße, intellixerimus, & illas, hac data fama lucrandi gratia, Vestri Dominij maris fauces expetisse, & profecto intrasse. Pertimentes igitur, ne subditis Vestris, & ipsorum rebus ex inopinato aliqua damna inferant, statuimus quamprimum de re huiusmodi vos facere certiores. Quas cum inprimis ad vestras manus vtique peruenire summopere peroptamus, vt*

pœna

pęna pro commissis nobis reddant, vos per amicitiam nostram, perque vnionis, & Italis fœderis fidem, omni studio, ac ex animo obsecramus vt toto ingenio eas insequi, & captas habere annuntiamini. Quibus n. captis, si quid aut damni vestris subditis, aut eorum reb. eas intulisse perhibebitis, ipsis modo triremibus at cum earum hominibus inuiolate seruatis, & de quibuscunque bonis in eis repertis damna passis ad vnguem vsque satisfacto, illas ad nos dirigatis, mittatisue iterum atque iterum vos rogamus. Quod quidem si feceritis nobis, & maiorem in modum, & nihil nostrum super morem geretis.

Epistolæ huic, non credo, sua glossa Aduersarius respondebit, triremes Regias infra Chlodiam introisse Gulphum, penetrasse portus ciuitatis, sed fauces Veneti maris a Ionio diuidētes: ex quo per aliam eidem Duci datam è Castris apud Sarnum, die XXV. Iunij M.CCCCLX. excusatur, fuisse coactum nonnullas mittere triremes per sinum superi maris in Apuliam, quo subsidium per terrā subditis suis ab hostibus oppressis mittere non poterat, vbi exoneratis militibus, non morarentur, sed peracto mandato, ad eum statim reciperentur: & iam, subdit, *dum hæc scribimus, putamus in Scilicia potius esse, quam in Apulia.* Quid ad hæc Glossator iste defessus? Colligat, si sanum sapit, Philippum Catholicum Regem, Ferdinandi huius successorem non posse quicquam prætendere huius maris, quod nūquam prætenderat suus ille præcessor, sileatque quisquis scripti huius fuerit author [illegible] si nullæ sunt partes in hac re, & ita oblocutus est, nil mirum esse debeat, [illegible] qui ex quampluribus iniuriis in patriam, ciuesque & nobiles, irrogatis multa, data opera, prætermisi, te, mi lepidissime Laurenti, audierit, referente. Cura vt valeas.

FINIS.